

ligatio per illam extinguatur, requiritur *primo*, ut accipiens sit creditor. Licet enim tertius pro debitore etiam invito solvere possit, per ea, quæ in præcedentibus sunt dicta: attamen debitum à debitore oblatum, tertius non creditor, invito creditore, regulariter recipere, & per hoc obligationem extinguere nequit. *l. 34. §. 4. ff. de solut.* Naturalis quidem & civilis ratio permittit, ut quis alterius conditionem facere possit meliorem: verum ne quis alterius conditionem faciat deteriorem, & jus alteri quæsitum auferrat, prohibet illa ipsa tam naturalis, quam civilis ratio. *l. 11. ff. de reg. jur.* Unde debitor, qui debitum falso creditori ex errore solvit, illud per condictionem indebiti recte repetit. *l. 65. §. ult. ff. de Condict. indeb.*

### *Thesis XI.*

Si plures sunt unius debiti creditores, & quidem singuli in solidum, ut sunt duo rei stipulandi, singuli solidum accipiendi habent facultatem, debitor vero electionem, cui debitum offerre, & illud solvere velit, ita ut per unius acceptationem obligatio etiam quoad reliquos extinguatur. *§. 1. Instit. de duob. reis stip. l. 2. ff. eod.* modo hoc fiat, antequam ab alio agendo in sua persona jus agendi & recipiendi fuerit præoccupatum, & correo jus accipiendo præclusum. Nam ex duobus reis stipulandi si semel unus egredit, alteri promissor offerendo & solvendo pecuniam nihil agit. *l. 16. ff. de duob. reis, stip.* An vero ille, qui solidum accepit, alteri partem communicate debeat, illud pluribus explicat Bachov. *ad Treut. vol. 2. Disp. 27. th. 9. lit. C. Perez. in Cod. tit. de duob. reis. num. 15. Vinnius ad §. 11. l. eod. per l. 62. ff. ad L. Aquil.*

### *Thesis XII.*

Potest autem creditor debitum recipere non tantum per se, sed etiam per alios. Nam quod quis per alium facit, per se fecisse putatur. *l. 5. §. 3. ff. de Admin. & peric. tut.* Unde etiam creditoris procurator debitum accipiens, saepè liberat debitorem; ita tamen ut hic distinguendum sit inter Procuratorem in rem suam, & inter Procuratorem in rem alienam constitutum. Procurator in rem suam sive Cessionarius, cui scil. à Creditore actio, vel in totum

vel